

Psalmus responsorius

Ex 15, 1-2. 3-4. 5-6. 17-18 (R̄: 1a)

R̄. Cantémus Dómino,
glorióse enim magnificátus est.

¹ Cantémus Dómino, glorióse enim magnificátus est:
equum et ascensórem eius deiécit in mare!

² Fortitúdo mea et robur meum Dóminus,
et factus est mihi in salútem.
Iste Deus meus, et glorificábo eum;
Deus patris mei, et exaltábo eum! R̄.

³ Dóminus quasi vir pugnátor;
Dóminus nomen eius!

⁴ Currus pharaónis et exércitum eius proiécit in mare,
elécti bellatóres eius submérsi sunt in mari Rubro. R̄.

⁵ Abýssi operuérunt eos,
descendérunt in profúndum quasi lapis.

⁶ Déxtera tua, Dómine, magnífice in fortitúdine,
déxtera tua, Dómine, percússit inimícum. R̄.

¹⁷ Introdúces eos et plantábis in monte hereditátis tuæ,
firmíssimo habitáculo tuo, quod operátus es, Dómine,
sanctuáριο, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ.

¹⁸ Dóminus regnábit in ætérnum et ultra! R̄.